

P V I S



1 6 0 3

XVII

CARMEN.

16.

DE PASSIONE

ET MORTE DOMINI NOSTRI
IESU CHRISTI, DEDICATVM

ORNATISSIMIS ET PRVDENTISSIMIS

viris vrbis Ceruestæ Scabinis Dominis

ac Mecænatibus suis summa ob-

seruantia colendis.

Q. 3065

A.

Gregorio Mumenio Ceruestensi.

Iohan: 3.

Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto,
ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui
credit in eum non pereat, sed habeat uitam æter-
nam.

r.

VITEBERGÆ.

EXCVDEBAT IACOBVS

Lucius Transylvanus.

1563.



Cuncta sub imperio CHRISTVS saluator & hero S
 Hic habet, hinc redijt dulcis ad astra vi A
 Rex sacer en propria Stygium virtute tribuna L
 Iam uicit, passus tristia fata di V
 Solus & impleuit remeans caelestia regn A
 Tartara cum socijs omnia Christus habe T
 Vltima nunc etiam vultu rege Christe benign O
 Secula, dum Satanae crescit in orbe furo R

I. M. C.

ORNATISSIMIS

ET PRUDENTISSIMIS VIRIS

VRBIS CERVESTÆ SCABINIS DO-

minis ac Mecænatibus suis summa ob-

seruantia colendis.

S. D.

DEscribant alij crudelia facta Gigantum,
E cælo cupiant qui remouere Deum.

Dicant sanguinei fortissima prælia Martis,
Larga quibus linguæ dona Minerua dedit.

Sit mihi Tyroni curæ uenerabile carmen
Saluifici Christi quod pia facta refert.

Ergo procul magicæ sint impia carmina Circes,
Lingquam cultori quæq; prophana suo.

Non mea balba Deos mendaces lingua sonabit,
Idolis alij conciliate decus.

Hoc sacrum tempus non nugas poscit inanes,
Sed Christi tribui laudibus omne decet.

Vos igitur patriæ non infima gloria nostræ
Non cultos uersus perlegitote, viri.

Musarum uobis nunc munera prima patronis
Offero, quantumuis paupere fonte fluunt.

Conueniunt pia scripta pijs, hinc cedite nugæ
Res etenim sacras nil nisi sacra decent.

A ij

Quæ

Quæ mea cum uideam leta uos uoluerè dextra
Scripta, breui uobis his meliora dabo.
Primitiæ fateor, sunt quas in uere iuuentæ
Legi, sint tamen hæc uilia grata rogo.
Accrescens nostris ætas maturior annis
Docta feret, nunc sit quæ uoluisse satis
Quod superest studijs Tyronis adeste patroni
Qui meriti memori pectore semper erit.
Tunc Deus innumeras & opes cum fœnore reddet,
Flamineq; æterno pectora uestra reget.
Præterea uitam multos producet in annos
Vita senem ut referat uestra beata Noham.

Vest: ampli:

addicti:

Gregorius Mumenius.

CARMEN DE PAS-
SIONE ET MORTE DOMI-
ni nostri IESV
CHRISTI.

EXoptata dies, insignis pompa triumphi
Venit, victori soluite grata Deo,
In quo ferratos à cardine vulsit Auerni
Postes, & Ditis depulit omne malum.
Dum se diuina demittit ab arce parentis,
Iram terribilem, victima sancta, ferens.
Quò nobis Stygia deceptis fraude Draconis,
Caelestis faciat tecta patere domus.
Nemo fuit, nec erit cuius facundia tanta,
Possit vt hæc digno dicere facta modo.
Sed tu sancte pater qui solus ubiq. gubernas
Omnia, tu ceptis mitis adesto meis.
CHRISTE Dei soboles perfecta q. patris ima-
Nam sine te felix res nequit esse Deo, (go
Tu mihi præualidas scribenti suffice vires.
Vincere quo possim. tale laboris opus.
Flatu caelesti mentem calamumq. gubernas,
Digna mihi rebus reddito verba sacris.
Dicere dum studeo qualis tibi causa dolorum
Quæq. sit immensi tristis origo mali.

A ij

Post.



Postquam mirifica sapiens Deus arte creasset,
Omnia quæ cælum terraq; tota tenent,
Fecisset uariè decorantia sidera cælum
Donaq; curasset cuilibet aptare.
Præ cunctis reliquis animal formauit & unum
Ex terra, sana non ratione carens.
Tradere cui posset diuinæ semina mentis,
Nosceret hoc summi mystica sacra Dei.
Aurea quod claræ uirtutis dona teneret
Perpetuò splendens esset imago sui.
Continuò Ditis cum conspexere cateruæ,
Formatæ massæ, munera tanta dari
Conueniunt, acresq; parant sociare labores
Omnes electo tendere tela student.
In casses prædam uenturam, sæpe petitam
Credunt, quæ Stygio grata futura lupo.
Quaq; creaturam ratione auertere possint
Consilium est, quisquis repperit arte dolos.
Ast inter reliquos omnes astutior unus,
Cuius erant tacitis pectora plena malis
Inuenit hic technas occultas fraude dolouè,
Extemplo notas, quas cupit esse suis.
Ergò statim socios absentes conuocat, ingens
Clamor in inferno stridet, ubiq; sonus.
Ex omni ueniunt magno cum murmure tecto,
Querunt quid clangor Martius ille uelit.
Quisquis

Quisquis in hunc oculos fixos habet, arrigit aures
Dicturum sperant plurima grata sibi
Ille suos omnes postquam cernebat adesse
Sublata lingua, talia dicta dabat:
Novistis socij, causam uenimus ob unam,
Organon electum fallere cura Dei.
Tempus adest aptum fraudi non spernite tempus
Fortuna audaces credite saepe iuuat
Non ego iam remoror vestras ambagibus aures
Nam scio vir falli qua ratione queat.
Sed memorare sino, festinans aggrediar rem,
Garrula dicta nihil commoditatis habent.
Incundus labor ille mihi, non dulcior alter
Tristia Christicolæ vincla parabo gregi.
Spicula projiciam letali tincta ueneno,
Totaq; sit soli res peragenda mihi.
Nemo ex hoc numero de me non lusus abibit
Fælices uenti si mea vela regent.
Sic fatus: celeransq; viam peruenit ad hortum,
Cuius possessor sanctus Adamus erat.
Qui fructus varios, flores, referebat & herbas
Totus pro voto pomifer hortus erat.
Ingreditur, cunctosq; videt decerpere fructus
Æuam, de vetito continet ipsa manus,
Vt lupus incautum rabidis cum faucibus agnum
Ambit, non cautos sic premit ille pios.

Ore

Ore salutabat, mellitaq; uerbula felle
Mixa dabat: fœlix organon Eua Dei.
Qui fit ab hac una quod non depromere poma
Arbore uis, nescis quæ tibi dona feret?
Illius pomum modò si gustaueris unum,
Conspicies celsi mystica quæq; Dei.
Multa quidem uobis insignia dona polorum
Rex dedit, at vetitus plurima fructus habet,
Certè tanta tibi quoq; erit sapientia, ueri
Quanta Dei, te non abstinuisse decet.
Eua fidem uerbis dat sancto munere spreto
Admouet & labris aurea mala suis,
Ast antiq; suo dat mitia poma marito,
Promissum referens, gustet ut ipse monet.
Heu nimium faciles mulier mala præbuit aures
Hæc est pestiferi fons & origo mali.
Dum cupit esse Deo similis, frustratur inani
Spe, simul amittens dona priora Dei.
Pellitur è sacro Paradiso, nulla salutis
Spes restat lapsò, spretus ubiq; iacet.
Exilium durum fuit hoc, non tristior illa
Hora sub ambobus credo reperta polis.
Ut stetit ille tremens latè loca questibus implens
Emittit gemitus, fletq; pauetq; metu.
Tartareæ gentes adsunt illudere lapsò
Certant, quem summo tollere iure uolunt.

Obstu-

Obstupefactus Adam se non euadere posse
Sentit, terrificus concutit ossa timor
Suspiciens, tollensq; manus ignoscito dicit
Alme Deus, Stygij vincula rumpe canis,
Clementi quæso miserum me respice vultu,
Fac valeant animæ robor a cuncta meæ,
Exaudi tristes gemitus, lachrymasq; videto
Concedas precibus pondus inesse meis.
Peccavi fateor, sitio cognoscere mendas
Crimina tu solus tollere tanta vales,
Infixit Satanus tibi quod sanabile vulnus,
Effice quo pateat ianua clausa poli.
Talibus incensus dictis pater abijcit iram,
Iustitiam flectens, læta futura refert:
Venturum semen promittit colla **Draconis**
Quòd terat, & valida frangat Auerna manu.
Hoc vobis requies erit atq; redemptio vera
Vitæ fœlicis pristina dona feret
Tanta fuit patris bonitas, clementia tanta
Pro nobis gnatum quò daret ille suum,
Quem mox sydereo descendere iussit Olympo,
Solueret vt iusto debita lytra sibi
Qui nostros casus fido miseratur amore.
Atq; sua lapsos viuere morte facit.
Pro nobis sceleris pœnam non ferre recusat,
Cum sua sint nullo, pectora tineta, dolo.

B

Labe

Labe carens vltro patris se subijcit iræ,
Insons purpureo sanguine spargit humum.
Et nobis quæ non rapuit bona reddere quærit,
Parcior vt iusti sit, facit, ira Dei.
Ipse tulit nostros languores, ipse dolores,
Passus per nostrum vulnera multa nefas.
Tempus erat præsens, & in eluctabilis hora,
Instabat mœstus funeris ille dies.
Æstuat ingenti mens tristis pressa dolore,
Horridus & mortis currit in ossa tremor.
Sanguineus sudor corpus destillat in omne,
Debilitat longus languida membra pauor.
Sepè pater de se per tristia pocula tollat,
Iussaq; decreti flectat amara petit.
Attamen, alme pater fiat tua sancta voluntas
Inquit, non pœnam mortis inire grauer.
Tu modò quæ mea sunt custodi, protege, serua,
Et me pro reliquis sit perijssè satis.
Saluifica maneant in relligione, nec illis
Tartareos facias, posse nocere dolos.
Sic mihi dulce mori: nec vulnera scœua recuso,
Assideat dextræ si mea turba tuæ.
Talia cœlesti dum soluit vota parenti,
Atq; suas supplex fundit ab ore preces.
Conductus nummis Iudas, non immemor astus
Irruit, & tales fatur ab ore sonos:

Inclyte

Inclyte rex salve, verbis simul oscula iungens,
Salve qui nobis gloria, summa salus.
Dixerat, & viridans hortus circumsonat armis,
Ducere captivum mens erat vna virum.
O Iuda quid agis tibi quàm crudele parasti
Iudicium, nil te tristius orbis habet.
Auri sacra fames, quorum non pectora tangis?
Hic Dominum nummi prodit amore suum.
Hunc rapiunt: validis submitunt colla cathenis,
Et iusti pectus vincula multa premunt.
Ingens concursus surgit iuvenumq; senumq;
Dentibus infrendet turba maligna suis.
Sistitur in medio nequeunt reperire furoris
Causas, mox vitam præripuisse student.
Falsiloquos testes statuunt qui crimina fingant:
Gnatum se veri dicit hic esse Dei.
Iniusto iustus damnatur crimine mortis,
Se patitur falso iudicis ore premi.
Insonti colaphos impingunt verbera multa,
Nec rabidi finem turba furoris habet.
Emittit gemitus, patri tamen ista reponit,
Quem ratio pœnæ non latet vlla suæ.
Flagicijs Dominum torquent & vulnera miscent
Sanguine cuncta madent, vulnere corpus hiat.
Vnus erat cunctis animus, vox omnibus vna:
Tolle, virumq; cruci figito, tolle virum,

B ij

Iustis

Iustitia ô procul es nimium placidissima virgo.
Iudex arbitrio iudicat ipse suo
Iustus qui iustè vixit sine crimine vitæ
Damnatur sceleris nullius ecce reus.
Nil possunt querulae voces, nil vota petentis,
Aër terrificus nil nisi tolle sonat.
Flagraq; perpeffum tot, plus affligere quærent
Non quem mouissent vulnera tanta fuit.
Inicitur capiti de spinis facta corona,
Et fluit immensus sancta per ora cruor.
Stant crines recti concreti sanguine sacro,
Cogitur iniustè tristia quæq; pati.
Pretereà promptas & habent ad crimina linguas.
Ac multum facies candida cæsa tumet.
In vultum roseum mittunt sordentia sputa
Dilacerant multo verbere membra viri
Hei mihi qualis erat, quàm passus vulnera scæna,
Tanta pati nullus qui potuisset erat.
Qualis erat vultus, quàm languida reddita membra
Non erat in toto, portio sana viro. (bra
Nec tamen absistunt animis sententia constat:
Mortem probrosæ debet inire crucis.
Ducitur in campum latum cui Golgatha nomen
Cogitur ipse crucis pondera ferre suæ.
Latrones duo sunt socij, confertur ad illos
Ex raptò pœnam quos meruisse patet.

Con

Confodiunt clavis grauius plantaſq; manuſq;
Latronum medio ponitur ipſe loco.
Ingemit, & querulus ferit aurea ſydera clamor:
Huc ades auxilio tu pater alme tuo
Deſeris ab cur me nunc in discrimine tanto,
Me Deus abiectum ne patiare rogo.
Parce tamen cecis, iniuſtaq; facta remitte,
Illos nec pœna uindice quaſo preme.
His ita completis, de me quæ ſacra recensent
Sit meus in dextra ſpiritus oro tua.
Sic expirauit, mox tellus contremiſit omnis,
Sol mæret, templi velaq; ſciſſa iacent.
Nigreſcunt nubes, diris micat ignibus æther,
Non erat in mundo conſpicienda dies.
Corpora funereis ſurgunt rediuiua ſepulchris,
Quæ in terræ multis currere viſa locis.
Conſcia mox cædis præcordia concutit horror,
Qua poſſunt certa ſiſtere ſede carent.
Sed vir iuſtus erat qui nomine dictus Ioseph,
Hic Chriſti tumulo pallida membra dedit.
Corpore quem viuo nobis lux tertia miſit,
Morteq; deſtructa victor ad aſtra redit.
Sic vaſtri periëre mali cacadæmonis aſtus,
Nil poſt hac Satanae ſpicula dira valent.
Ærati poſtes, Plutonis ferrea turris,
Robur, regnum, viſ, omnia fracta iacent.

B ij

Nil

Nil tetrum virus, disruptaq; retia fraudum,
Prostrato Stygio principe, vita manet.
Sic nobis vera redyt via sancta salutis,
Ianua signiferi stat reserata poli.
Sic nunc viuit homo, quamuis moriatur in orbe
Perpetuò valeant Tartara, viuit homo.

Ergo tibi meritò dicatur gratia Christo,
Et sileant nomen tempora nulla tuum.
Quod nos ingenti sanasti vulnere lesos
Clausaq; fecisti tecta patere patris.
Tu nobis dura reparasti sorte salutem,
Insontis pæna, quæ reparanda fuit.
Pro nobis læso genitori lytra dedisti,
Vulnere sanasti crimina nostra tuo.
Pelle procul morbos animæq; pericula pelle
Eumenidum diros pellito Christe dolos,
Vita, salus, requies, in te firmata recumbunt,
Felix qui didicit fidere ritè Deo.
Te duce non poterunt nobis humana nocere
Quamuis ostentent tristia multa minis.
Omnes te cupimus, tua dextra tuebitur omnes,
Propter te gratis turba recepta sumus,
Verba salutiferæ tua quæ sunt plena salutis
Nobis conserua, friuola quæq; preme.

Esto

*Esto tui populi custos hoc tempore tristi,
Dum quatit heu nostram seu procella ratem.
Ne nos perturbent Turcæ Romanaq; monstra,
Illos victrici contere Christe manu.
Tuq; magistratus rege, sanctaq; corda piorum,
Ut toto nomen crescat in orbe tuum.
Deniq; permittas nobis bona tempora pacis.
Inq; tuo maneant corpora nostra sinu.*

FINIS.

Esto tui populi castus hoc tempore iustis
Quam dicitur per nosram suam procella ratem
Ne nos perturbent Iures Romanarum monstra
Illos dicitur contra christe manus
Tunc magister ut reges sanctas corda piovum
Ne toto nomine exeat in orbis tunc
Quid permittas nobis bona tempora pacis
Sed tuo manent corpora nostrorum

FINIS



Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





16

XVII

ARMEN.

ASSIONE

DE DOMINI NOSTRI
CHRISTI, DEDICATVM
SACRIS ET PRVDENTISSIMIS
*Ceruestæ Scabinis Dominis
Senatibus suis summa obe
seruantia colendis.*

Q. 3068

A.

io Mumenio Ceruestensi.

Iohan: 3.

...s exaltauit serpentem in deserto,
...rtet filium hominis, ut omnis qui
...on pereat, sed habeat uitam æters

r.

TEBERGÆ.

DEBATIACOBVS

icius Transylvanus.

1563.

